



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,  
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa  
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad  
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630**

2 Vtrum ens habeat vnum conceptum, seu rationem formalem  
obiectiuam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

logata non habent inter se propriam similitudinem & convenientiam. Alia vero esse, quæ significant formam seu naturam intrinsece inuentam in omnibus analogatis: & huiusmodi est ens, vt infra videbimus, nam accidentia non sunt entia per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam naturam seu rationem entis, quam participant: & in huiusmodi analogis non est inconueniens dari vnum conceptum formalem simpliciter & absolute in se vnum re & ratione formali adequata: in quo autem eius analogia consistat, infra explicabitur.

SECTIO II.

*Utrum ens habeat vnum conceptum seu rationem formalem obiectiuam.*

I.  
Ratio dubi-  
tandi. 1.

**R**atio dubitandi duplex est. Prima tãta est scilicet præceden. fundaturque in analogia entis, quia, si conceptus eius obiectiuus est vnus, vel vnitate vniuocationis, & sic tollitur analogia, vel vnitate tantum analogæ, & sic vel reuera non est vnus: vel est repugnantiæ in terminis, quia analogia intrinsece includit, vel plures rationes habentes tantum inter se proportionem, vel plures habitudines ad vnā formam, ratione quarum conceptus obiectiuus nominis analogi non potest esse vnus. Quod declaratur, & confirmatur, quia vt ens habeat vnum conceptum obiectiuum, necesse est, vt omnia entia conueniant in vna ratione formali entis, quæ per nomen, ens, immediate significetur, quia vnitas conceptus obiectiuus requirit vnitatem rei, vel saltem rationis formalis: si autem omnia entia conueniunt in vna ratione formali: ergo vt sic, habent vnā, & eandem definitionem, sicut vnum conceptum obiectiuum: quia, si conceptus obiectiuus vnus est, etiam definitio eius potest esse vna: ergo nihil deest enti ad perfectam vniuocationem.

II.  
Secunda.

Secunda ratio dubitandi est, quia, si conceptus obiectiuus entis est vnus, ergo secundum se est præcisus, & abstractus ab omnibus inferioribus, seu determinatis entium rationibus: consequens est impossibile: ergo & antecedens. Sequela patet, quia si conceptus entis est vnus, ergo formaliter & actualiter non includit in se determinatos modos entium: illi enim intrinsece opponuntur, & distinctionem efficiunt: vnde impossibile est, vt in vno conceptu obiectiuo actu includantur: ergo vt conceptus entis sit vnus, necesse est, vt ab his omnibus præscindat: hoc autem esse impossibile sic ostendo, quia si ens vt sic, præscindat à determinatis rationibus entium: ergo vt ad eas contrahatur scilicet determinetur, aliquid ei addi necesse est: ergo vel id quod additur, est ens, vel nihil: si nihil, quomodo potest ens realiter determinare, & propriam aliquam rationem entis constituere? si vero est ens, ergo non potest ens vt sic, ab eo præscindi, nam quod ab alio præscinditur, non includitur in illo. Neque enim intelligi potest, quod ens præscindatur à modis, quibus contrahitur: & quod nihilominus in eis intrinsece includatur: neque è contrario, quod modus contrahens ens, nihil includat nisi ens, & tamen quod illud determinet ad specialem rationem entis. Nam contractio, & determinatio non intelligitur sine additione: non potest autem intelligi additio, nisi id quod additur, tale sit, vt non includat id cui additur, aut secundum rem, aut secundum rationem, iuxta modum quo addi intelligitur. Et confirmatur, nam ob hanc causam dixit Arist. 3. Metaph. tex. 10. genus esse extra rationem differentiarum, scilicet, quia abstractum, & præscindit ab illis: ergo, si conceptus obiectiuus entis est præcisus & vnus, necesse est, vt in contrahentibus non includatur.

III.  
Ratio diffi-

In contrarium autem est, quia vni conceptui formali vnus conceptus obiectiuus necessario respon-

det: sed ostensum est dari vnum conceptum formalem entis: ergo necessario dandus est vnus obiectiuus. Maior constat, quia conceptus formalis habet totam suam rationem & vnitatem ab obiecto: ergo, vt sit vnus, necesse est, vt tendat in obiectum aliquo modo vnum: sed conceptus obiectiuus nihil aliud est, quam obiectum ipsum, vt cognitum vel apprehensum per talem conceptum formalem: ergo, si conceptus formalis est vnus, necesse est, vt obiectiuus etiam vnus sit.

cultam  
contrariū

*Varia sententia referuntur.*

**I**N hac quæstione, qui negant dari vnum conceptum formalem entis, consequenter etiam negant dari obiectiuum. Ecce sententia Caiet. locis cit. scilicet præced. in prima opinione, & Ferrar. loco citato. Ex his vero, qui admittunt vnum conceptum formalem entis, negant vnum obiectiuum, Soncin. 4. Metaph. q. 2. & 3. & Hispal in 1. d. 3. q. 1. Heruzus & Flandr. locis cit. scilicet præced. Tribuitur etiam Capreolo, sed reuera id non docet, vt infra dicam. Citatur etiam pro hac sententia D. Tho. 1. p. q. 13. art. 5. q. 7. de potentia, art. 7. q. 2. de verit. art. 11. quibus locis significat, vocibus, quæ communes sunt Deo, & creaturis, non respondere vnā rationem conceptam seu significatam, sed plures. Fundamenta huius opinionis tacta sunt in principio: nam licet plura argumenta ab his auctoribus afferantur, tamen vis omnium in duabus difficultatibus tactis posita est. Non conueniunt autem prædicti auctores in explicando conceptum, vel potius conceptus obiectiuos, qui enti correspondent. Quidam enim aiunt, immediate representari per conceptum formalem entis omnia genera entium, quatenus inter se habent aliquam proportionem vel habitudinem, vt Ferrar. & idem sentit Caiet. Alij vero dicunt, per conceptum formalem entis immediate representari hoc disiunctum, substantia vel accidens, vt Soncin. Heruzus, & alij. Rursus alij dicunt representari absolute omnia genera, seu rationes, vel conceptus simplices, non copulatiue, nec disiunctiue, vel simpliciter, vt Fonseca 4. Meta. c. 2. q. 2. scilicet 4. & 7.

IV.  
Prima sen-  
tentia  
Petrus 2.  
physic 6. 2. h  
fine.

Secunda sententia omnino contraria est, dari conceptum obiectiuum entis simpliciter vnum. Hanc tenet Scot. in 1. d. 3. q. 1. & 3. d. 8. q. 1. & in 2. d. 3. q. 3. & P. Iauell. 4. Metaph. q. 1. Soto in prædicam. c. 4. q. 1. & in eadem opinione est Capreolus in 1. d. 2. q. 1. Est tamen diuersitas inter hos auctores: nam Scotus ponit hunc conceptum ex natura rei præcisum ab inferioribus naturis, & modis contrahentibus ens. Alij vero solum ponunt hanc vnitatem conceptus obiectiuus ex modo concipiendi nostro, absque præcisione & distinctione, quæ sit in rebus: de qua diuersitate opinionum dicemus scilicet seq. De alia vero differentia, quæ etiam est inter hos auctores quoad vniuocationem, vel analogiam, dicemus inferius.

V.  
2. Sententia.

Tertia opinio media inter prædictas, vtitur distinctione, & variis modis explicatur. Quidam enim dicunt, conceptum entis obiectiuum in se & absolute sumptum sine inferioribus, esse vnum, & ratione præcisum ab illis, tamen comparatum ad inferiora, & vt inclusum in illis, non esse vnum: & ita conciliant rationes dubitandi in principio adductas: nam, quia per conceptum formalem entis concipitur ens secundum se, & sine vlla comparatione ad inferiora, necesse est, vt sub hac saltem consideratione conceptus ille obiectiuus habeat vnitatem. Quando vero hic conceptus consideratur, vt in ipsis inferioribus existens, non potest habere vnitatem: differunt n. ipsa inferiora, v. g. substantia & accidens, per id ipsum quo entia sunt: ergo non possunt in illo vt sic, habere vnitatem, quia non possunt secundum idem conuenire & differre, & hanc è posteriorè partem confirmant rationes dubitandi in principio positæ. Aliter Fonseca supra, supposita illa distinctione de conceptu confuso, distincto;

VI.

distincto, & medio, seu partim confuso, partim distincto: de hoc tertio conceptu dicit posse quidem esse vnum, non tamen præcisum ab inferioribus, sed esse conceptum substantiæ, v. g. de conceptu autem distincto similiter dicit non esse vnum adæquatum enti, nisi fortasse in Deo, in nobis vero includere conceptum substantiæ, qualitatis, &c. Sed, vt dixi, hi reuera non sunt conceptus entis vt sic. Tandem de conceptu confuso entis, qui ad rem spectat, ait quodammodo esse vnum & præcisum, non tamen simpliciter, sed secundum quid. Esse quidem aliquo modo præcisum, quia non expresse & determinate continet id, quod est proprium inferiorum membrorum, non esse autem simpliciter præcisum, etiam secundum rationem, ne sequatur illum esse vniuocum. Declarat autem, hanc præcisionem esse secundum quid, & non simpliciter, quia hic conceptus confusus entis ita excludit ea, quæ sunt propria substantiæ, & ceterarum entitatum simplicium, vt tamen eius essentia non sit alia, quam essentia huiusmodi entitatum.

## VII.

Sed hæc distinctiones, vt præcedente sectione attigi, mihi non videntur deferuere ad rem explicandam, sed quo amplius multiplicantur, eo magis res videtur obscurari, & confundi. Omisissis ergo conceptibus distinctis seu particularibus, substantiæ, & aliorum generum seu membrorum diuidentium ens in communi, hic solum agimus de eo conceptu obiectiuo, qui immediate, & adæquate responderet illi conceptui formali, quem diximus scilicet præcedenti correspondere in mente huic voci, *ens*, & rei immediate significatæ per illam: ceteri enim conceptus particulares secundum se sumpti, non sunt conceptus entis in quantum ens, sed vt sunt talia, vel talia entia.

## Prior assertio.

VIII.  
Datur una  
ratio entis  
obiectiuæ.

Dico ergo primo, conceptui formali entis respondere vnum conceptum obiectiuum adæquatum, & immediatum, qui expresse non dicit substantiam, neque accidens, neque Deum, nec creaturam, sed hæc omnia per modum vnius, scilicet quatenus sunt inter se aliquo modo similia, & conueniunt in essendo. In hac conclusione conueniunt auctores secundæ sententiæ, & Fonseca non dissentit, & plurimum fauet D. Tho. locis supra cit. de veritate q. 1. art. 1. q. 21. art. 1. quatenus dicit, cōceptum entis esse simplicissimum, & primum omnium, determinarique ad substantiam, quantitatem, &c. per quandam determinationem, & expressionem talis modi entis, vbi necesse est esse sermonem de conceptu obiectiuo: nam formalis non determinatur, nec contrahitur. Vnde apertius i. p. q. 5. art. 3 ad 1. ait D. Thom. *Substantia, quantitas, & qualitas contrahunt ens, applicando ens ad aliquam quidditatem, seu naturam*: contractio autem intelligi non potest sine aliqua vnitate, & communitate conceptus obiectiuus. Atque eodem modo fauet huic sententiæ Arist. 4. Meta. text. 7. vbi inquit, *Metaphysicam considerare ens in quantum ens*, sub quo alia genera continentur: vbi D. Thom. ait, primam Philosophiam considerare ens commune, & ea, quæ sunt eius in quantum huiusmodi. Ratione potest hæc sententia ita probari. Necesse est, conceptum formalem entis habere aliquod adæquatum obiectum: sed illud non est aggregatum ex variis naturis entium secundum aliquas determinatas rationes earum, quantumuis simplices: ergo oportet, vt ille conceptus sit vnus secundum aliquam conuenientiam, & similitudinem entium inter se. Consequentia est euidentis à sufficienti enumeratione, quia supponimus (quod est per se notum) illud conceptum obiectiuum non esse vnum vnitate reali, id est, numerali seu entitativa: nam constaret hunc conceptum esse commune multis rebus. Maior item assumpta euidentis est, quia ille conceptus formalis est actus intellectus: omnis autem actus intellectus, sicut & omnis actus, quatenus

vnus est, habere debet aliquid obiectum adæquatum, à quo habeat vnitatem. Minor vero probatur, quia, si obiectum illud adæquatum est ex aggregatione plurium naturarum entis, quæro, quæ sint istæ naturæ, & quomodo in illo conceptu aggregentur, nullo enim modo id concipi, & intelligi potest. Quod patebit etiam, excludendo omnes modos, quibus id assertum est, vel excogitari potest.

Primo enim, quod Soncinas ait conceptum illum consistere ex substantia & accidente vt sic, est plane falsum: nam, vel in illo conceptu includuntur illa duo copulatiue: & hoc ipse non dicit, nec dicere potest: alias falso diceretur substantia esse ens, vel qualitas esse ens, quia nec substantia est substantia & accidens, neque qualitas, & sic de aliis. Aut includuntur illa duo disiunctiue, vt ipse Soncinas dicit: & hoc, præterquam quod est contra experientiam, vt statim dicam, ex illo sequitur vniuocatio entis, quæ ipse vitare intendit: nam hoc disiunctum, *substantia vel accidens*, tam vere, simpliciter, & æque primo conuenit accidenti, sicut substantiæ, quia sicut ad veritatem disiunctiue sufficit veritas vnius partis: ita vt prædicatum disiunctum æque primo ac simpliciter prædicetur, sufficit vt vna pars eius æque primo ac simpliciter subiecto conueniat: tam vere autem & tam proprie accidens est accidens, sicut substantia est substantia: ergo disiunctum illud tam vere ac proprie conuenit accidenti ratione vnius partis, sicut substantiæ ratione alterius. Quod in omnibus similibus prædicatis videre licet: nam esse Deum vel creaturam, v. g. tam vere ac proprie dicitur de homine, sicut de Deo, & sic de aliis. Vel denique includuntur illa duo simpliciter, id est, absque coniunctione, vel disiunctione, scilicet *substantia accidens*. Et hoc in primis est contra experientiam, quia id quod concipitur, mente percipitur, & hoc modo sub experientiam cadit: nos autem, audito nomine *entis*, & concipiendo præcise id, quod hac voce significari intelligimus, non percipimus mente substantiam vt sic, neque accidens vt sic, vt quilibet in sese experiri potest.

Deinde ille conceptus formalis simplex est, & limitatus, ac re ipsa præcisus à propriis conceptibus formalibus substantiæ, & accidentis, vt talia sunt: ergo per illum non repræsentatur substantia, & accidens proprie & distincte, sicut repræsentantur per duos conceptus substantiæ, & accidentis. Neque enim dici potest, quod ille vnus conceptus entis eminentiori modo contineat totam illam formalem repræsentationem, quæ est in duobus illis conceptibus simul sumptis: nam hic modus vniuersalitatis in conceptu formali est alienus ab intellectu humano, de quo agimus, & vix reperitur in angelico: non est ergo ille conceptus vniuersalis per eminentem repræsentationem plurium, vt plura sunt, sed per confusionem plurium, vt aliquo modo vnum sunt. Quod si per illum conceptum non repræsentantur substantia & accidens tam proprie ac distincte, sicut per duos proprios conceptus substantiæ, & accidentis, non intelligitur medium, quomodo representari possint secundum propria, sed tantum prout inter se sunt aliquo modo similia: ergo non constat conceptus ille ex substantia & accidente representatis etiam dicto modo absolute & simpliciter.

Accedit præterea, quod iuxta huiusmodi conceptum vix intelligitur, quid definite prædicetur de aliquo, cum dicitur esse ens: nam id, quod prædicatur, est conceptus obiectiuus: si ergo ille cōceptus est totum hoc substantia accidens, hæc prædicatio, hoc est ens, æquiualeat huic: hoc est substantia accidens: huiusmodi autem prædicatio non potest determinate fieri aut vere, vel falso, nisi vtræque pars prædicati intelligatur copulatiue aut disiunctiue prædicari, cum illæ duæ partes non coniungantur per modum substantiæ & adiectiui, vt per modum vnius prædicentur: quamuis, etiam si hoc modo fieret, sensus rediret co-

## IX.

*Ens non significat substantiam, & accidens immediate.*

## X.

ret copulatiuus, & feret falsa propositio. Rursus accedit contra totam hanc sententiam, quia si in illo conceptu reperitur vtrumque horum, substantia & accidens quocumque ex prædictis modis; inquiri vltius, quis conceptus substantiæ ibi includatur: nam substantia vel ibi sumitur pro substantia creata, vel pro increata, vel pro aliquo conceptu obiectiuo communis vtriq. Primum & secundum dici non possunt: quia ens, de quo nunc loquimur, commune est enti creato, & increato, prout supra diximus, esse obiectum huius scientiæ: si verò dicatur tertium, confurgit inde argumentum ad hominem contra prædictos auctores, tamen quia substantia est quid analogum ad increatam, & creatam substantiam: ergo si, non obstante analogia, datur vnus conceptus obiectiuus communis substantiæ creatæ & increatæ, poterit etiam dari conceptus entis. Tum etiam quia magis distat substantia creata ab increata, quā accidens à substantia creata: oporteret ergo, consequenter loquendo, addere aliquid illi conceptui, dicendo constare ex determinata ratione substantiæ creatæ, & accidentis, quod tamē per se est incredibile, & efficacius impugnari potest argumentis factis. Et adhuc super est simile argumentum ex parte alterius membri, sc. *accidens*: nam hoc etiam secundum prædictos auctores analogum est, & saltem respectu aliquorum accidentium est fortasse verum, vt infra dicam: inquiram ergo similiter, an accidens intret conceptum entis, secundum aliquem conceptum communem, vel (vt ita dicam) secundum partem conceptus obiectiuus communis omnibus accidentibus: & contra vtrumque possunt applicari argumenta facta, ac denique potest concludi, hoc etiam membrum esse in plura alia diuidendum.

XI.  
Conceptus  
entis non in-  
cludit gene-  
ra omnia  
prima.

Propter hanc ergo fortasse causam dixerunt alij obiectum adæquatū illius conceptus formalis entis esse, vel includere genera omnia prima seu omnes entitates simplices, quæ proximè diuidunt ens. Sed contra hanc sententiā procedunt eodem modo priora argumenta. Primum, quia tales naturæ nec copulatiue, nec distinctiue, nec simpliciter, & absque vlla copula possunt in tali conceptu includi, vt patet applicando eodē modo discursum factū: habet enim eandem vim, vt facile cuius consideranti patebit. Secundum, ab experientia, quia ex vi conceptionis entis non percipimus has omnes dehnitas naturas entis, vt tales sunt, & prout inter se distinguuntur: multoq. difficilius esset, tot percipere naturas, quā substantiam & accidens tantum: multoq. incredibilis est dari vnum conceptum formale in nobis, qui distinctè representet has omnes naturas, quā solam substantiam, & accidens: quod si conceptus formalis entis nō ita distinctè representat has naturas vt tales sunt, & prout inter se distinguuntur, concluditur, solum representare illas prout inter sese cōueniunt, & aliquo modo similes sunt, quod est intentū. Sequela verò patet, quia, vt paulo antea declarauimus, inter hæc duo non potest in presenti medium inueniri. Tertium, quia ferè eadē ratione, qua dicitur conceptus hic obiectiuus entis includere omnia prima genera, vel omnes entitates simplices, dicendus esset includere omnes entitates, quantumuis compositas, hominem, leonem, &c. secundum proprias rationes suas: quod nullus hactenus dixit. Sequela patet, quia, si ens includit in conceptu suo omnia genera, vel naturas simplices, vel est quia ratio entis vt sic, secundum rem nō præscindit ab ipsis, vel est, quia illæ nihil addunt supra ens, quod non sit ens: vel est, quia ratio entis secundum rationem intelligitur immediatè determinari, seu contrahi ad illas naturas. At verò prima & secunda harum rationum eodem modo procedunt in quacumque entitate, etiam in speciebus infimis, nam secundum rem, non magis præscindit ratio entis à ratione hominis vel equi, &c. quam à ratione substantiæ & accidentis, neq. etiam homo addit supra ens aliquid, quod non sit ens,

magis quam substantia, vel quantitas, &c. Tertia verò ratio non affertur consequenter, quia, si ens vt sic, non dicit vnā obiectiuam rationem seu conceptum: nihil est in ente vt sic, quantum ad rem conceptam, quod propriè diuidi, determinari, aut contrahi possit, neq. immediatè, neq. mediatè: ergo illa ratio nihil obstat, quo minus omnes entitates quæcumque illæ sint, includantur in conceptu entis, si aliqua dicuntur determinatè includi, nec de quibusdam poterit sufficiens ratio assignari magis, quam de alijs.

Propterea tandē aliter dici potest, in obiecto adæquato conceptus formalis entis non includi plures naturas entis determinatas ac distinctas secundum propriam, neq. omnes sub vna aliqua ratione cōmuni, sed vnā tantum determinatè & expresse, alias verò implicite, & confusè, v.g. naturam substantiæ vt sic, determinatè & expresse, naturas verò accidentiū implicite. Sed hic etiam modus non minus efficaciter impugnari potest, quam præcedentes. Primo, quia supra ostendi, per conceptum formalem explicitè & determinatè representantē substantiam, vt substantia est, nullo modo representari accidentia, neq. implicite, neq. confusè, si propriè loquamur, vt latè declarauimus scilicet præc. Secundo hic etiam vrgeri potest argumentum sumptum ab experientia, ex Soto, nā experimur de aliqua re nos concipere, quod sit ens, & dubitare, an sit substantia, vel accidens, vt v.g. de quāritate, euidenter scimus esse realitatē, an vero sit substantia vel accidens, vel dubitamus, vel in opinione versatur: ergo in illo conceptu entis non includitur substantia, vt substantia, id est, expresse, & secundum propriam rationem. Tertiò, quia alias idē esset conceptus obiectiuus entis, & conceptus obiectiuus substantiæ: quia conceptus obiectiuus substantiæ nihil aliud est, quam ratio substantiæ determinatè & secundū proprium modū ab intellectu conceptæ: sed eodē modo dicitur concipi ratio substantiæ per conceptum entis. Rursus, si in ratione substantiæ sic concepta includitur confusè, vel implicite conceptus accidentium, siue significetur nomine entis, siue nomine substantiæ includentur eodē modo: quia ratio concepta est eadem, & modus concipiendi illam est idem, sc. expresse, ac determinatè: conceptus ergo obiectiuus substantiæ, & entis erit idem. consequens autem est plane falsum, & contra communem modum concipiendi: nā hæc prædicatio substantia est substantia, est identica: hæc autem minimè, substantia est ens: non ergo differunt tantum in nominibus, sed etiam in rationibus obiectiuis, quæ prædicantur. Item alias perinde esset distribuere omnem substantiam, & omne ens. Item tam falsa esset hæc propositio accidens est ens, sicut hæc, accidens est substantia: quæ omnia sunt planè falsa.

Vltimò ex re ipsa, & quasi à priori probatur nostra sententia contra omnes prædictas, quia omnia entia realia verè habent aliquā similitudinem & conuenientiam in ratione essendi: ergo possunt concipi & representari sub ea præcisa ratione, quā inter se conueniunt: ergo possunt sub ea ratione vnum conceptum obiectiuum constituere: ergo ille est conceptus obiectiuus entis. Antecedēs per se notum videtur ex terminis: nam, sicut ens & non ens sunt primò diuersa & opposita, propter quod dicitur esse primum principium omnium, Quodlibet esse vel non esse, ita quodlibet ens habet aliquam conuenientiam, & similitudinem cum quolibet ente: maiorem enim conuenientiam inuenit intellectus inter substantiā, & accidens: quam inter substantiam & non ens seu nihil: creatura etiam participat aliquo modo esse Dei, & ideo dicitur saltē esse vestigiū eius propter aliquā cōuenientiam, & similitudinem in essendo: qua ratione ex esse creaturæ inuestigamus esse Dei, & similiter ex esse accidentis, esse substantiæ. Deniq. hac ratione tribuimus illis proprietates aliquas seu attributa cōmunia, vt habere bonitatem aliquā, vel perfectionē, posse agere, vel se cōmunicare, & similia: est ergo in re ipsa aliqua cōuenientia &

XII.

Conceptus  
entis non in-  
cludit sub-  
stantiam ex-  
plicitè, & a-  
liā implicite.

XIII.

Apriori pro-  
batio cōclu-  
sionis.

tia & similitudo inter entia omnia realia. Prima consequentia etiam est per se satis clara, tum quia omnia entia sub illa ratione & convenientia sunt cognoscibilia: tum etiam quia hac ratione alia res, quae habent inter se convenientiam aliquam, sub ea concipiuntur unitè & coniunctim; magis autem vel minus pro ratione maioris, vel minoris convenientiae: tum denique, quia in re est fundamentum sufficiens ad hunc modum concipiendi, & in intellectu non deest virtus & efficacia ad huiusmodi conceptionis modum, nam est summè abstractius, & praeclivius rationum omnium. Et hinc etiam facilis est secunda consequentia, quia, ut diximus, unitas conceptus obiectivi non consistit in unitate reali, & numerali, sed in unitate formali, seu fundamentali, quae nihil aliud est, quam praedicta convenientia & similitudo. Vltima verò consequentia evidens est praesuppositis alijs, quia, si talis conceptus obiectivus est possibilis, ille est transcendens, simplicissimus, & hoc modo primus omnium, quae sunt attributa conceptus entis. Item illa convenientia fundatur in actu essendi, qui est veluti formale in conceptu entis, unde etiam sumitur argumentum, quod sicut conceptus obiectivus ipsius esse, seu existentiae unus est, ita etiam conceptus entis. Tandem omnia fundantur in eo, quod supra ex D. Tho. adduximus, quod analogia entis non est in aliqua forma, quae intrinsecè tantum sit in vno analogato, & extrinsecè in alijs, sed in esse seu entitate, quae intrinsecè participatur ab omnibus: in illa ergo ratione habent omnia reale convenientiam, & consequenter unitatem obiectivam in ratione entis.

*Posterior assertio.*

XIV.  
Conceptus  
entis obiectivus  
est ab omni ratione  
particulari.

Dico secundò: Hic conceptus obiectivus est secundum rationem praeclivus ab omnibus particularibus, seu membris diuidentibus ens, etiam si sint maxime simplices entitates. Haec conclusio videtur mihi necessario consequens ex praecedente: quia cum omnia entia determinata aliquo modo diuidentia ens sint inter se distincta, & plura obiectiva, non possunt intelligi convenire in vnum obiectivum conceptum, nisi saltem secundum rationem fiat praecisio, & abstractio à proprijs rationibus, in quibus distinguuntur. Sed, quia tota difficultas in hac abstractione & praecisione consistit, prius declaranda est, & postea conclusio per se & ex proprijs probanda.

XV.

Est ergo advertendum, abstractionem seu praecisionem intellectus non requirere distinctionem rerum, seu praecisionem alicuius rationis, vel modi, quae ex natura rei antecedit in re ipsa praecisionem intellectus, sed in re simplicissima posse fieri huiusmodi praecisionem varijs modis, sc. vel per modum formae à subiecto, vel è contrario per modum subiecti à forma: vel per modum formae à forma, ut in Deo praescindimus Deum ut sic, à suo actu voluntatis, & actum voluntatis ab actu intellectus: & similiter praescindimus substantiam Dei à natura Dei tanquam modum eius, non quod intellectus asserit esse modum, sed quod instar modi ex parte sua illam concipiat. Sic igitur abstrahit & praescindit intellectus aliquid ab aliquo tanquam commune à particulari, non ob distinctionem vel praecisionem, quae in re antecedit, sed ob imperfectum, confusum, seu inadaequatum modum concipiendi suum; ratione cuius in obiecto, quod considerat, non comprehendit totum, quod est in illo, prout à parte rei existit, sed solum secundum aliquam convenientiam, vel similitudinem quam plures res inter se habent, quae per modum vnius sub ea ratione considerantur. Quo fit, ut ad conceptum obiectivum praecisum secundum rationem ab alijs rebus, seu conceptibus, non sit necessaria praecisio rerum secundum se, sed sufficiat denominatio quadam à conceptu formali representante illum obiectivum, quia scilicet per illum non re-

praesentatur obiectum illud secundum id totum quod est in re, sed solum secundum talem rationem convenientiae, ut patet in conceptu obiectivo hominis ut sic, qui secundum rationem praecisus dicitur à Petro, Paulo, & alijs singularibus, à quibus in re non differt. Illa autem praecisio secundum rationem est denominatio à conceptu formali: quia nimirum homo, ut obijcitur tali conceptui, non est representatus secundum omnem modum quo in re existit, sed secundum convenientiam quam plures homines habent, qui per modum vnius sub ea ratione concipiuntur.

Sic ergo explicata hac praecisione rationis in conceptu obiectivo, non est difficile ostendere reperiri in conceptu obiectivo entis, quia per conceptum formalem entis, neque Deus, neque substantia creata, neque accidens representantur, secundum modum quo in re sunt, neque prout inter se differunt: sed solum prout aliquo modo inter se conveniunt, ac similia sunt: ergo id quod immediate, & adaequate obijcitur huic conceptui formali, est secundum rationem praecisum à proprio conceptu obiectivo substantiae, vel accidentis. Antecedens probatum est praecedente conclusione, adiunctis etiam quae dicta sunt superiori sect. consequentia verò patet, quia praecisio secundum rationem in nullo alio consistit, ut explicatum est. Et confirmatur primò; nam conceptus obiectivus entis secundum rationem non est conceptus obiectivus substantiae, aut accidentis, aut alicuius alterius determinati generis: neque etiam est aggregatum ex omnibus illis: ergo est aliquid vnum secundum rationem praecisum ab illis. Maior & minor probatae sunt in superioribus; consequentia patet, quia haec praecisio secundum rationem solum consistit in distinctione rationis in ordine ad conceptus formales. Confirmatur secundò, nam propter hanc praecisionem haec non est identica: *substantia est ens*: neque haec, *accidens est ens*: & tamen utraque est vera, quia in eis intelligitur praedicari aliquid commune utriusque, & secundum rationem ab utroque distinctum. Et hac etiam ratione, ut supra argumentabamur, fieri potest, ut post conceptionem alicuius sub ratione entis, dubitetur an sit substantia vel accidens, quod sine distinctione saltem rationis neque intelligi potest. Confirmatur tertio, quia non alia ratione datur conceptus obiectivus substantiae secundum rationem praecisus ab omnibus substantijs: & accidentis ab accidentibus, nisi propter convenientiam quam habent, & secundum quam praecise concipi possunt: ergo idem dicendum est de conceptu entis.

Fortasse aliquis respondebit, non esse convenientiam realem inter omnia entia in ratione entis, sicut est inter omnes substantias in ratione substantiae, vel inter accidentia in ratione accidentis. Sed, vel est sensus inter entia ut sic, nullam esse realem convenientiam, vel non esse tantam quanta est inter alia. Primum est planè falsum, neque intelligi potest, nisi ab his, qui existimant accidens, v.g. non dici ens nisi extrinseca denominatione, sicut medicina dicitur sana, ut interdum videtur insinuare Caieta. opusc. de analog. non. c. 2. sed non est verisimile, eum ita sensisse, ut dicitur latius infra tractando de analogia entis, & expressè idè Caiet. 1. p. q. 13. art. 5. docet ens, licet analogice dicatur de Deo & creaturis, intrinsecè de illis dici: & per se quidè notum videtur, non posse aliquid esse reale ens per denominationem extrinsecam: nam haec est propria ratio vel fundamentum entium rationis, ut postea dicitur: necesse est ergo, ut quod est ens reale, sit tale realiter ac formaliter per suam intrinsecam entitatem, quae est idem cum ipso, & inseparabilis ab ipso, etiam si reliqua omnia ab eo praescindi, vel separari intelligantur: & ita etiam accidentia, licet entitas substantiae ab eis separatur, intelliguntur intrinsecè retinere suam entitatem, quae sunt entia realia, & ideo supra cum D. Tho. dicebamus, analogiam entis non excludere, quin formalis

ratio

XVI.  
Ratio entis  
est formalis.

XVII.  
Evasio re-  
solvitur.

ratio significata per ens intrinsecè in omnibus analogatis reperitur. Hinc autem necessariò sequitur, vt illa habeant inter se aliquam realem conuenientiam, secundum suam intrinsecam rationem entis, vt supra etiam probatum est: Quod autem hæc conuenientia fortasse non sit tanta, quanta est inter substantias, vel accidentia inter se in proprijs rationibus, ad rem præsentem non refert, nam ad summum concludit, vnitatem conceptus entis non esse tantam, non vero quod non sit aliqua & sufficiens ad præcisionem conceptus obiectiuum secundum rationem: Sicut etiam non est tanta conuenientia inter substantias vt sic, quanta est inter homines: & nihilominus vtraque sufficit ad vnitatem, & præcisionem conceptus obiectiuum.

XVIII.

Aliter potest responderi, & assignari differentia, quia ratio entis est intima omnibus, & ideo non videtur posse præcindi, etiam secundum rationem ab aliquibus, alia verò rationes non sunt tam intimæ rebus. Sed hæc etiam differentia nulla est, si cū proportionem sumatur, nam etiam ratio entis substantiæ, & accidentis communissimè sumptæ intimè sunt in omnibus substantiis, & accidentibus sub quacunque ratione præcendantur, & considerentur. Hoc ergo nihil impedit ad præcisionem conceptus obiectiuum, maxime cum ostensum sit, hanc præcisionem non fundari semper in aliqua distinctione rei, sed solum in tali concipiendi modo, quo res sub vna habitudine, & non sub alia consideratur.

XIX.

Altera eius  
solutio.

Contra hanc verò doctrinam multa obijci possunt, quæ partim attingunt analogiam entis, partim distinctionem, vel inclusionem eius in omnibus rebus vel modis determinantibus ipsum, de quibus in sequentibus dicendum est. Nunc solum illud obijciatur, quia ex dictis sequitur prædicamenta non esse primò diuersa, quia in aliqua ratione communi conueniunt. Respondetur, prædicamenta non dici primò diuersa, quia in nullo conueniant, cum constet plures conuenientias, vel similitudines inter varia prædicamenta intercedere, nam prædicamenta accidentium præter rationem entis conueniunt in ratione accidentis, quædam etiam conueniunt in ratione accidentis absoluti, & distinguuntur à respectibus, &c. Dicuntur ergo primò diuersa, quia in nullo genere conueniunt, vt Porphyrius significauit in capite de specie. Item, quia non proprijs differentiis differunt, sed seipsis, vt ex dicendis sect. 6. constabit.

#### Corollaria ex superiori doctrina.

XX.

Modus intrinsecus  
substantiæ  
vel accidentis  
non includitur in  
conceptu  
entis.

EX his infero primò, in hoc conceptu entis obiectiuo, & sic præciso non includi actu modos intrinsecos substantiæ, vel aliorum membrorum, quæ diuidunt ens. Patet, quia vel includerentur, vt constituentes illum conceptum entis, vel vt diuidentes. Non primum, quia impossibile est vnum, vt vnum, modis seu differentiis oppositis constitui. Neque etiam secundum, quia iam ille conceptus actu esset diuisus in duos, & ita ille conceptus non esset vnus cuius oppositum probatum est. Et confirmo, nam interrogo, quid sit actu includere illos modos: aut enim est, quod in re ipsa communis ille conceptus entis actu includat, in rebus illis, in quibus existit, illos modos: aut est, quod in mente seu in conceptu illo obiectiuo, vt præcise terminante talem conceptum formalem, includantur actu illi modi oppositi. Primum horum est verum, sed non est ad rem, quia hic conceptus obiectiuus consideratur, vt præcisus, & adæquatus conceptui formali entis vt sic: & non secundum totam realitatem, quam in re habet in omnibus inferioribus suis: hoc enim modo conceptus entis nec præcisus esse potest, neque vnus, cum includat actu totum id, quod ad distinctionem omnium generum, & conceptum necessarium est:

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

nec propriè ac verè dici potest cōceptus entis vt sic, sed sunt potius plures conceptus omnium entium secundum totas realitates eorum, à quibus conceptus præcisus entis re ipsa non distinguitur. Confirmatur, nam hoc modo, etiam conceptus hominis dici potest actu includere omnia indiuidua, quia conceptus obiectiuus hominis prout in re ipsa existit, realiter includit ipsa indiuidua, & proprios modos eorum, nec magis distinguitur in re homo à suis indiuiduis, quàm diuiditur ens à substantia, accidente, & alijs generibus, vt inferius constabit: valde autem impropriè propter hanc causam dicitur conceptus obiectiuus hominis actu includere omnia indiuidua, seu principia indiuiduantia earum. Loquendo autem de conceptu entis præciso in alio sensu, qui magis est ad rem, falsum est, includere actu modos oppositos inferiorum generum, quia vt sic, solum includit id, quod representatur per conceptum formalem eius: per illum autem conceptum formalem non representantur hi modi expresse ac distinctè secundum proprias rationes eorum, quia intellectus vt sic, concipiens, nihil horum percipit, vt ex dictis, & ex ipsa etiam experientia notum est, & ex alijs similibus; non enim alia ratione homo dicitur non includere actu indiuidua, sed potentia tantum, nisi quia vt representatur per conceptum præcisum hominis, non consideratur in illo aliqua indiuidualis ratio, sed solum ratio hominis.

Secundò inferitur hanc vocem, *ens*, non significare immediatè substantiam vel accidens, aut alia genera seu entitates simplices secundum proprias rationes earum, sed conceptum obiectiuum entis vt sic, & ratione illius genera seu entitates, in quibus in re ipsa existit. Ita sentiunt omnes auctores citati, tam hic, quam in conclusionem sectionis præcedentis, præfertim sect. 1. d. 3. q. 1. & 3. citantur etiam Auicenna. 1. suæ Metaph. c. 4. Algazel. c. 6. & sumitur ex D. Tho. cit. locis, & de ente & essentia c. 1. vbi Caiet. in re idem sentit, quamuis ab Scoto differat, & constituat in hoc differentiam inter ens & alia nomina significatia determinata genera, vel species: sed reuera nulla intercedit, quæ ad rem præsentem multum spectet, præter eam, quæ tractanda est sect. seq. Vnde potius hoc declaratur, & probatur: primò exemplo hominis (& idem est de similibus) significat enim immediatè hominem, & mediatè Petrum, in quo à parte rei ratio hominis reperitur. ergo similiter ens, &c. Probatur consequenter ex paritate rationis, quia vtròque nomen est commune, & vtròque conceptus obiectiuus est secundum rationem præcisus ab inferioribus, & nomen non significat illa, nisi ob aliquam conuenientiam, quam inter se habent.

Secundò declaratur à priori, quia, sicut voces exprimunt conceptus formales mentis, ita etiam immediatè significant obiecta, quæ per huiusmodi conceptus immediatè representantur: nam in tantum deseruiunt ad exprimendos conceptus, in quantum illud ipsum, quod conceptus naturaliter representant voces ex impositione significant, & deo vox interdum in communi imponitur: quia conceptus, quem exprimit, communis etiam est: ergo illud ipsum, quod est immediatum obiectum formalis conceptus, est immediatum significatum vocis adæquatè illi conceptui: huiusmodi autem est hæc vox, *ens*, respectu conceptus formalis entis.

Tertiò hoc amplius declaratur, quia hæc vox, *ens*, ita significat plura, vt ex vnica & prima impositione illa omnia comprehendat: ergo signum est, non significare illa immediatè, sed medio aliquo conceptu obiectiuo communi omnibus illis. Antecedens declaratur ex differentia inter analogiam huius vocis, & aliarum, quæ per solam proportionalitatem, vel extrinsecam habitudinem ad vnum analoga sunt: nam in ceteris semper vox ex primæua impositione significat vnum tantum, postea verò per Metapho-

XXI.

Ens non si-  
gnificat im-  
mediatè  
substantiā,  
vel accidens.

XXII.

E ram

ram aliquam translata est ad significandū aliud: unde fit, ut immediatē significet vtrumq; quasi duplici impositione & significatione. In quo cum aequiuocis conueniunt, solumq; differunt, quod in aequiuocis vtrāq; impositio est æque prima, & nō manat ab altera, sicut in prædictis analogis. Exempla sunt, *visus* ex prima impositione solum significat quandam hominis actionem, postea verò translata est hæc vox ad significandam agri amenitatem: similiter *sanum*, ex prima impositione significat solum sanitatem in animali existentem, deinde verò translatum est ad significanda alia, quæ habent habitudinem ad sanitatem animalis. Et ratio est, tum quia hæc multiplex significatio & impositio non est orta ex vno conceptu, sed ex multis, tum etiam, quia non fundatur in reali conuenientia rerum significatarum, sed solum in extrinseca habitudine, vel proportionē. At verò nomen, *ens*, ex propria & primæua impositione habet significationem communem omnibus entibus, ut patet, tum ex communi vñu, & apprehensione talis vocis, tum ex formali, vel quasi formali significato eius, quod est esse, quod de se commune est, & intrinsecum omnibus realibus entibus: tum denique, quia illa impositio orta est ex vno cōceptu formali entis ut sic. Atq; hinc probata etiam relinquitur prima consequentia, quia vna vox non potest ex vi vnius impositionis significare plura ut plura, sed vt sunt aliquo modo vnum, & ideo de ratione vocis communis est, vt saltem secundum rationem, & in ordine ad conceptus, quos voces exprimunt, nō significet immediatē plura, vt talia sunt. Quod in præsentē ostendi potest, nam ens non significat immediatē substantiam solam, alias accidens non esset intrinsecū ens, neq; etiam significat simul substantiam, vt substantiam, neq; accidens vt accidens, vt declarari facile potest, discurrendo per illa tria membra supra posita, quia scilicet nec disiunctiue, nec copulatiue, nec simpliciter, potest illa immediatē significare, vt facile patebit applicando argumēta suprà facta. Hæc enim tria, *conceptus formæ, intellectus, & vox*, proportionem inter se seruant, & ideo ab vno ad aliud sæpē argumentamur, non quidem vitiosum circulum committendo, sed de vnoquoq; fumendo, quod nobis notius, aut ab alijs facilius concessum videtur.

XXIII.

Quartō argumentor, quia propter hanc immediatam significationem conceptus seu rationis communis entis potest propriissimē ens distribui, dicendo, omne ens est bonum, & diuidi, verbi gratia, in substantiam & accidens, non enim sola vox ibi diuiditur, sed quod voce significatur. Propterea etiam optimē fit comparatio, dicendo hoc esse perfectius ens, quam illud, quam etiam facit Aristotel. 6. Metaphysic. capite 1. Ac denique optimē vtitur hac voce tanquam extremo, vel medio syllogismi, nam vocis vñitas non deseruiet ad ratiocinandum, nisi ratione vñius significati proximi, & immediati. Atque hoc modo est optima illa communis ratio, quod ens in quantum ens, est obiectum intellectus, vel scietia Metaphysicæ: vnde necesse est, vt fit aliquid vñū immediatē illa voce significatum: hæc enim ratio in tantum efficax esse potest, in quantum illud non est vtrumq; obiectum, sed etiam est subiectum, de quo fiunt demonstrationes, & medium ad demonstrandum aliqua de inferioribus. Vltimō accedit experientia sæpē tacta, quia audito nomine entis aliquid concipimus, & non substantiam, neq; accidens. Dicit enim nō potest (vt aliqui significant) tunc nos sistere in conceptu vocis, quia id est contra experientiam: alium enim conceptum format, qui scit vocis *ens*, significationem quam qui ignorat: hic enim concipit vocem, & ibi sistit, vel dubitat, quid ea voce significetur: ille verò præter vocem concipit rem significatam, & de significatione nullo modo dubitat, & tamen non concipit substantiam, neque accidens: habet ergo hæc vox aliud immediatius significatū.

Sed obiicit Soncinas nonnullas rationes, quas sequenti sectione afferemus, solum enim probant, ens nō significare aliquod medium ex natura rei distinctum à substantia, & accidentibus, non verò quod ratione distingui non possit per confusum mentis conceptum. Obiicit deinde Arist. 10. Metaph. text. 8. dicentem, ens significare decē prædicamenta, quod Auerroes exponit de prima significatione & sine medio, quem ibi sequitur Alex. Alenf. Obiicit secundo Arist. 6. Metaph. text. 4. dicentem, si non dantur entia abstracta à materia, Philosophiam naturalem esse primam Philosophiam, id est, Metaphysicam scientiam ab illa distingui minime posse, quæ consequentia nō esset bona, si ens vt ens significaret aliquid commune substantiæ, & accidenti, nam illud esse posset obiectum Metaphysicæ, etiam si non essent immateria lia entia. Tertio obiicere possumus Arist. 1. Physic. text. 25. vbi significat, ens non significare aliquid vñū, quod possit esse medium syllogismi, ea enim de causa reuocat illam ratiocinationem Parmenidis. Quicquid est præter ens, est non ens, sed non ens est nihil: ergo quicquid est præter ens, est nihil.

XXIV.

Quartō obiici potest Arist. 7. Metaph. c. 4. text. 15. dicens, ipsum ens dici de omnib. generibus seu prædicamentis, non tamen similiter, id est, non secundū eandem rationem & conceptum. Quintō citatur idem Arist. 8. Metaph. c. 6. text. 16. dicens, *ipsum ens hoc quidem*, id est, per se & vt tale est, *statim esse substantiam, quale, quantum*, &c. & ideo non poni in definitione, quasi dicat, ens immediatē descendere ad prima genera, quibus locis Auerroes, Alexander, & D. Thomas ita exponit & sentiunt. Sextō assertur Arist. 1. Prior. c. 28. vbi significat, prima genera talia esse, vt de ipsis nihil dicatur, vt Alexander & Philoponus videntur exponere.

XXV.

Ad primum testimonium respondetur, Arist. nihil ibi dicere de significatione immediata, sed solum de generali, & æquali predicatione entis, & vñius: nā in omnibus prædicamentis æquē reperiuntur, & inde concludit inter se idem esse. Ad cuius rationis efficaciam necesse non est, vt in hac significatione tollatur omne medium rationis. Vnde D. Tho. ibi ait, ens significare naturas decem generum secundum quod sunt actū, vel potentia, in quo satis indicat, nō significare illas immediatē secundum rationes proprias, sed secundum aliquam communem. Expositio itaq; Auerrois necessaria nobis non est, quamquam ipse satis declaret, se solum excludere medium quod fit genus, quodque dicat naturam definitam & propriē contrahibilem, de quo postea dicemus.

XXVI.  
Solutio.

Ad secundum respondent aliqui, argumentum Aristotelis bonū esse, non tamen fundari in eo, quod ens significare non possit conceptum communem substantiæ & accidenti, sed in hoc, quod si nulla esset res abstrahens secundum esse à materia, ratio entis vt fit, non abstraheret à materia magis, quam ratio corporis vel entis naturalis, & ideo consideratio entis vt fit, non transcenderet limites Philosophiæ naturalis, quia tunc materialis substantia esset primum ens, eadem autem est scientia primi entis, & entis communis, vt in principio libri 4. dixerat, & D. Thomas & Scotus in dicto loco, libro 6. Animaduertunt.

XXVII.

Hæc verò communis responsio maiori eget examine. Dubitari enim inprimis potest, an, licet nullæ essent immateriales substantiæ, danda esset scientia Metaphysicæ, à Physicæ & Mathematicæ distincta. Nam videtur ita esse asserendum, nam tunc daretur ratio entis abstrahens à substantiæ materiali, & à quantitate alijsq; accidentibus. Darentur etiam proprietates communes, vt *veritas, vñitas, idem, diuersum, totum, pars*, &c. de quibus nec Physica, nec Mathematica tractant nunc, neque etiam tunc tractarent, cū sint communiora, & excedentia propria obiecta. Ergo necessaria esset tertia scientia vtraque superior, quæ

XXVIII.

quæ proinde esset Metaphysica. Vnde potest secundum dubitari, an illa scientia esset prior tunc, quam naturalis Philosophia, videtur enim ita dicendum, quia esset de obiecto abstractiori & priori.

Mihi quidem probabile est, etiam data illa hypothesi, adhuc relinqui locum Metaphysicæ scientiæ: nunc enim vna tantum pars eius est, quæ de substantiis spiritualibus disputat; quoad reliquas ergo partes manere tunc posset, disputare de ente, aliisque transcendentibus, & de decem prædicamentis, & de principiis ac causis vniuersalibus. Hoc tamen posito, nihilominus iuxta mentem Aristotelis citato loco, naturalis Philosophia esset prima scientia seu Philosophia, saltem dignitate & præstantia, quoniam ageret de nobilissimo obiecto: sc. de substantia vt sic, & de omni substantia: & consequenter etiam ageret de primis causis rerum & principiis, non quidem secundum abstractionem mentis, sed secundum rem.

XXIX.

Vnde tandem dicitur probabilis videri, in eo casu non fore necessariam scientiam Metaphysicæ specialem, & naturali Philosophia distinctam. Ratio est, quia tunc Philosophia ageret de omni substantia & consequenter de omnibus accidentibus, etiam de quantitate prout est proprietas substantiæ, & quoad entitatem & essentiam eius, & quatenus distinguitur, tam ab ipsa substantia, quam ab aliis omnibus proprietatibus eius, quia tota hæc consideratio quantitatis non abstraheret à materia sensibili, nec excederet latitudinem obiecti Philosophiæ. Atque eadem ratione ad eandem Philosophiam spectaret omnium prædicamentorum diuisio & consideratio, quia nihil in eis esset re ipsa non fundatum in substantia sensibili: nec enim latius se extenderent prædicamenta accidentium, quam prædicamentum substantiæ. Rursus omnium essentiarum, omniumque causarum realem consideratio ad Philosophiam spectaret, propter eandem causam. Ac denique pari ratione eadem ageret de prædicatis communibus substantiæ, & accidentibus, nec propter illa sola oporteret specialem scientiam constituere, quia non abstraheret à materia sensibili, & conceptus entis non esset alius à conceptu entis materialis. Neque obfaret, quod ratio entis & similes, communes essent rebus Mathematicis & Physicis: quia illa communitas solum esset secundum conuenientiam realem, non secundum aliquam peculiarem abstractionem pertinentem ad constituendum obiectum scientiæ. Sicut etiam nunc quantitas continua & discreta conueniunt in communi ratione quantitatis, & tamen non datur vna Mathematica communis, quia Physica sufficienter tractat de illa conuenientia & ratione communi, in qua non reperitur specialis abstractio constituens peculiare obiectum scibile: ita ergo esset in eo casu.

XXX.

Ad tertium testimonium, ommissa Soti, & aliorum expositione, dicentium illam propositionem esse falsam: *Quicquid est præter ens, est non ens*, quia ens simpliciter dictum accipitur pro substantia: hoc enim in rigore falsum est, vt infra ostendam: & præterea seruata proportionem prædicati & subiecti, adhuc esset verum dicere, quidquid est præter ens, esse non ens. Hac (inquam) ommissa expositione, responderetur Aristotelem non negare ens posse esse medium syllogismi, neque hac de causa rejicere rationem Parmenidis, sed quia & sumebat esse ens vnum propriè & in rigore, cum solum sit analogum: tum etiam quia voce vnius æquiuocè utebatur: sic enim ex præmissis supra positis concludebat, id quod est, seu ens, esse vnum: ergo quidquid est præter vnum, est nihil, vt ita conficeret, omnia vnum esse, quæ est manifesta æquiuocatio, nam ipse intendebat, omnia esse vnum in re ipsa, ens autem si præcise sumatur, & quasi immobiliter, non est hoc modo vnum, sed ratione tantum: si autem sumatur distributiuè, & pro singulis entibus, sic quidem vnumquodque ens vnum est, non tamen omnia sunt vnum.

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

Ad quartum negatur illa expositio, cum enim ait Aristoteles, ens existere in omnibus, sed non similiter, non rectè exponitur, id est, non vno conceptu, sed non eodem modo, quia de substantia simpliciter, de aliis verò secundum quid dicitur, vt D. Thom. exponit. Quantum solum probat ens non esse tale medium, quod propriè contrahatur ad inferiora per aliquid, quod non sit ens, sed per simplicem determinationem, qua vnumquodque genus seipso est ens, & tale ens, quod verissimum est, vt latius videbimus sect. 5. & 6. non tamen excludit medium conceptum ex confuso modo concipiendi nostro. Ad sextum respondeo in primis, Aristotelem nullam ibi mentionem facere decem primorum generum: sed absolute ait, quædam esse, quæ de aliis prædicantur, de ipsis autem nihil, quod nos possumus exponere de transcendentibus, de quibus nihil, vt superius prædicatur: sic enim restringenda videtur illa propositio, nam vt æquale nihil est, de quo non possit aliquid prædicari, nam ipsa transcendentia de se inuicè prædicantur propriè, & non omnino identicè. Vnde si quis velit de decem generibus illud membrum exponere, necesse est, vt aliter illud restringat ad prædicata superiora, quæ sunt genera, vel species, nam absolute quomodo potest esse verum, cum euidenter constet multa de primis generibus prædicari? Imò ipse Aristotel. 2. Posterior. cap. 14. significat, prædicata superiora, seu vniuersalia quædam contineri intra genus, quædam verò de aliis dici etiam extra genus, quod expositores omnes dictum esse intelligunt propter ens, & similia.

Vltimò sequitur ex dictis, ens non solum dicere conceptum vnum & præcise, prout absolute abstractum consideratur, sed etiam prout comparatur ad inferiora, vt de eis prædicetur, vel existens in eis consideretur. Probatur, quia post quamcunque notitiam abstractiuam conceptus communis à particularibus, potest intellectus facere comparatiuam: ergo illud ipsum, quod abstractum est in ente, potest ad inferiora comparare, non est enim maior repugnantia in conceptu entis, quam in aliis communibus: sed potius est eadem ratio, scilicet quia totus ille conceptus est in ipsis inferioribus, siue ab eis re distinguatur, siue ratione tantum, hoc enim nil refert: imò quo minor fuerit inter illa distinctio in re, eo verius vnum attribuetur alteri: sic enim, quamuis sapientiæ Dei præcindamus, & ratione à Deo distinguamus, illam ad Deum comparantes, verè ac propriè dicimus sapientiæ esse in Deo. Ad hunc ergo modum ratio entis præcise concepta rectè ad substantiam & accides comparatur, & in eis esse dicitur, & hoc modo fiunt hæc prædicationes, *substantia est ens, & accides est ens*. Vnde confirmatur, quia omnis hæc comparatio, vel compositio fit ex simplicibus conceptibus: ergo, postquam intellectus cōcepit præcise ens, potest simul concipere substantiam, vel accides secundum proprios conceptus, quia hi conceptus simplices non habent inter se repugnantiam, vt per se constat: ergo similiter potest tunc intellectus ens ad substantiam comparare tanquam in illa existens, & similiter ad accides: ergo conceptus entis, etiam vt comparatus ad conceptum substantiæ, & accidentis, est secundum rationem præcise ab illis.

Dices: Ergo conceptus entis, etiam vt inclusus in inferioribus, est præcise ab illis, quod repugnat supra dictis: quia inclusus in inferioribus, nihil aliud est, quam ipsa, quia nihil in ipsis est, quod non sit ens: Sequela verò parer, quia ens non potest comparari ad inferiora, vel prædicari de illis, nisi vt est in illis: ergo, si vt dicit præcise conceptum, comparatur ad inferiora, etiam vt est in illis, erit præcise. Respondetur esse æquiuocationem à modo concipiendi nostro ad rem ipsam, & è contrario. In rigore ergo negatur sequela, quia licet conceptus entis, qui à nobis præcinditur secundum rationem, sit in inferioribus,

XXXI.

XXXII.  
Conceptus entis etiam vt comparatur ad inferiora, est præcise ab illis.

XXXIII.

ferioribus, tamē vt est præcisus, formaliter loquendo, non est in inferioribus, id est, non habet in illis eum statum, seu modū essendi, quem habet per denominationem extrinsecam ex præcisione intellectus. Quando autem dicitur hic conceptus, etiam vt præcisus, comparari ad inferiora, eisq; attribui, non est sensus, quod secundum eam præcisionem seu denominationem attribuitur inferioribus, sed solum quod ratio illa sic concepta ad inferiores comparata in omnibus illis inclusa inueniatur. Quocirca si non fiat illa reduplicatio de ratione entis vt præcisa, sed simpliciter sit sermo de ratione entis præcise concepta, verum est, rationem illam esse in inferioribus, & in eis omnino, & intinē includi, & nihilominus ratione præcisci, quamuis in re non sit præcisa.

XXXIV. Sed statim vrget difficultas, quia iuxta hæc nihil videtur deesse conceptui entis ad rationem proprii vniuersalis, nam erit vnum in multis, & de multis. Sed hæc difficultas pendet ex duabus rationibus dubitandi in principio sectionis positae. Vna est de vniuocatione entis, quia si ens non est vniuocum, illa ratio sufficit, vt non sit propriè vniuersale: quomodo autem ex dictis non sequatur esse vniuocum, & quid illi ad vniuocationem desit, infra in proprio loco est tractandum, agendo de diuisionibus entis: nunc solum assero, lōgē clariora & certiora videri, quā quod ens sit analogum, & ideo non rectè propter defendendam analogiam negari vnitatem conceptus, sed si alterum negandum esset, potius analogia, quæ incerta est, quam vnitatis conceptus, quæ certis rationibus videtur demonstrari, elier neganda. Re tamen vera neutram negari necesse est, quia ad vniuocationem non sufficit, quod conceptus in se sit aliquo modo vnus, sed necesse est, vt æquali habitudine, & ordine respiciat multa, quod non habet conceptus entis, vt latius citato loco exponemus. Alia difficultas erat de modo, quo ens descendit, vel trahitur ad inferiora secundum rationem, de qua re paulo inferius propriam faciemus sectionem, quia & obscuram habet difficultatem, & ex aliis prius dicendis pendet.

### SECTIO III.

*Utrum ratio seu conceptus entis in re ipsa & ante intellectum sit aliquo modo præcisus ab inferioribus.*

I.  
Explicatio  
questionis.



Æc questio videri potest communis omnibus gradibus, seu cōceptibus superioribus respectu inferiorū, de quibus agendum est disput. 5. sect. 1. & disput. 6. sect. 2. Sed hic habet difficultatem specialem propter transcendentiam entis, & ideo breuiter expedienda hic est: supponendo, præter distinctionem realem perfectam, quæ intercedit inter entitates mutuo separabiles, posse in rebus ante intellectum aliam minorē inueniri, qualis esse solet inter rem, & modum rei, vt infra latius dicturi sumus. Hic ergo, vt certum supponimus rationem entis, non distingui realiter priori modo ab inferioribus, in quibus existit, quod per se notum est in omni communi prædicato, & a fortiori patebit ex dicendis. Inquirimus autem, an esse tale vel tale ens, addat aliquem modum ex natura rei, & ante intellectum, distinctum ab ipso ente, ita vt ens, vel tale ens, verbi gratia, substantia, ex natura rei in ratione sua formali distinguantur, quatenus substantia addit aliquem modum, quem non dicit ens.

Disput. 7.

*Argumenta partis affirmantis.*

Videtur ex dictis sequi ita esse affirmandum. Primo, quia ratio entis eadem est in re, quæ mente concipitur, sed in mente concepta non includit modum substantiæ, vel accidentis: ergo neque in re ipsa, sed rationes substantiæ vel accidentis includit suos modos: ergo ratio entis in re est distincta ab illis. Maior (cetera enim omnia nota sunt) probatur, quia non dicimus rationem entis eodem modo esse in re, quo concipitur, quantum ad modum, scilicet, quem habet ex præcisione concipientis, sed dicimus rationem illam conceptam esse eandem, quæ est in re, & hoc videtur per se notum, quia intellectus in hoc conceptu non fingit rem, vel rationem conceptam: ergo eandem concipit, quæ est in re.

Secundo, quæ in re sunt separabilia, in re sunt aliquo modo distincta, quia includunt hæc duo negationes eiusdem rationis seu æquivalentes, maxime in rebus finitis: sed ratio entis est in re separabilis à ratione substantiæ, nam saluatur in accidente, & è contrario est separabilis à ratione accidentis, quia saluatur in sola substantia: ergo est aliquo modo in re distincta ab illis. Dices, rationem entis, quæ est in substantia, non esse separabilem ab illa, neque quæ in accidente, ab illo, & ideo non esse necessariam distinctionem ex natura rei inter illa. Sed contra, nam ad distinctionem ex natura rei sufficit prædictus separationis modus, scilicet, quod alicubi possit vna ratio reperiri sine alia: quia, si in re sint omnino idem, non videtur intelligibile, præsertim in rebus finitis, quod non se semper comitentur, quia, quæ in re omnino idem sunt, vbique sunt idem: sed in accidente, verbi gratia, ratio entis, & ratio substantiæ non sunt idem: ergo neque secundum se, & absolute idem sunt.

Quod in hunc modum tertio declaratur, quia substantia à parte rei non ex eo est substantia, ex quo est ens (& idem est de accidente) ergo est aliqua distinctio ex natura rei inter conceptum obiectum entis, & substantiæ, etiam prout in re sunt in ipsamet substantia. Antecedens patet, quia substantia ex eodem est ens, ex quo accidet, nam in ratione entis vnum sunt: ergo substantia non est substantia ex eo, quod ens, alioqui quidquid ea ratione constitueretur in ratione entis, constitueretur etiam in ratione substantiæ. Prima verò consequentia probatur, quia distinctio ex natura rei optime colligitur ex effectibus formalibus seu constitutis distinctis: cum ergo aliud quid constituatur per rationem substantiæ, quam per rationem entis vt sic, necesse est, vt in re habeant aliquam distinctionem.

Quarto censi solet difficile argumentum, quia impossibile videtur, vt eadem res secundum idem conueniat cum alia, & ab ea differat, sed substantia à parte rei: & ante omnem intellectum conuenit, seu est similis accidenti in ratione entis, differt autem seu est dissimilis in ratione substantiæ: ergo hæc duo distinguuntur ex natura rei aliquo modo in ipsamet substantia, alioqui secundum idem omnino esset similis, & dissimilis accidenti. Quod esse impossibile probatur, quia hæc duo includunt contradictionem, nam conuenientia & similitudo dicit aliquam rationem vnitatis, similitudo enim fundatur in vnitatem, vt Aristoteles dixit 5. Metaphysicæ: dissimilitudo autem dicit potius rationem multitudinis. Et confirmatur, & explicatur contradictio: quia, si in substantia ratio substantiæ, & entis est omnino eadem: ergo quicquid est de essentia substantiæ, est de essentia entis, & è contrario: alioqui differrent essentialiter, nam quocunque addito, vel ablato mutatur essentia: si autem differunt essentialiter: ergo in re ipsa habent distinctionem aliquam, nam essentialis ratio in re ipsa consistit. Si autem, quicquid est de essentia substantiæ, est de essentia entis, sequitur &

ratio-

II.

Primum.

III.

Secundum.

IV.

Tertium.

V.

Quartum.